

Jacob Lembke

Rector Universitatis Rostochiensis, Jacobus Lembke/ U.I.D. & Antecessor, Ad Exequias Viro ... Dn: Adolpho Friderico Helingio, Med. Doctori. & ... Holsat. Regente Duce &c: &c: &c: in Praefectura Tundern Medico, abs Moestissima Vidua hodie parandas Omnium Ordinum Dignitatumque Cives Academicos ... invitat : [P. P. ... 23. Martii. Anno 1683 sub Sigillo Rectoratus]

Rostochi[i]: Keilenbergius, [1683]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771253095>


Druck Freier  Zugang



Lemke, J.,
in A. F. Heling.

Rost. 1683.

28



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.


Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



53.
RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS,
JACOBUS Gembke/
U. J. D. & Antecessor,

Ad
Exeqvias
VIR O

Nobilissimo, Amplissimo, atq; Experientissimo,

DN: ADOLPHO
FRIDERICO HELINGIO,

Med. Doctori. & Constituto â Reverendiss.

ac serviss. Holsat. Regente Duce &c. &c. &c.
in Praefecturâ Tundern

Medico,

abs

Mœstissima Viduâ
hodiè parandas

Omnium Ordinum Dignitatumqve CIVES
ACADEMICOS, quâ fas, est humanitate,
invitat.

ROSTOCHI,

Typis B. FRIDERICI KEILENBERGII Vid. Acad. Typogr.

dy



Ignem observatum est, quod de Regum Angliæ Galliarum tactu, quò strumas sanant, historiæ habent; neque desunt, qui ipsissima inter miracula id, ceu rem divinitus speciatim concessam, referre audent. Et verò, si totum illud negotium, uti geritur, aliquantisper intueamur, non pauca se obferunt, in quorum contemplatione distineri animus, singulari hòc factò permotus, & nunc huc trahi nunc illuc possit. Nolumus interim ad eos respicere, quibus relatio isthæc omnis omnimodis ferè dubia videtur. Ponderent hi Gramondi illa (*Histor. Gall. L. 1. p. 19.*): *Haud vana fides tactui, cui se submitunt Europæi omnes, præcipuè Hispani, veteri odio nostra improbant, edq; nihil suspectis, sanè jampridem desissent accurrere, si vacuus esset effectus salutaris hic tactus: & forte non negabunt amplius, quod tot præterea historicorum testimoniis confirmari solet. Ceterùm de causis potissimum agunt, qui in hujus rei penitiorem *ἱστορίαν* feruntur: atque inter eas quidem nonnulli vim verborum, alij usaliquod gentilicium & connatam proprietatem; tertij, quorum & sub initium mentio facta, miraculosam quandam gratiam allegant. Utrum verò aliqua opinio harum ad verum scopum colimet*

limet, non libet his in paginis inquirere. Ferias nobis fecit, qui plenissime de his omnibus in notitia non minus Dignitatum illustrium (*Dissert. V. c. 2. §. 4.*) quam Lineis Doctrinae Moralis (*c. 2. §. 4.*) egit, celeberrimus Becmannus. Ex quo satis forte constabit; nec verba quicquam valere, quae una cum numeris & sonis sunt non raro Magiae illicitae mancipia; nec nodum solvere jus gentilitium, quod neque Angliae neque Galliae Regnum constanter penes unam s. Lineam s. Familiam fuerit; nec denique miraculis, quicquid id est, facile accenseri posse, quod nullum tale exemplum Miraculi aut Doni miraculorum certae Nationi, Regno, loco familiae, ordini hominum & quidem Regum perpetuam successione affixi in V. aut N. Testam. ostendi possit. Unde autem efficaciam manus utriusque Regiae dependere Vir acutissimi iudicii autumet, dum multis indagare h. l. non possumus; quanquam ejus quidem sententia Naturae curiosis vix improbetur; ipsis etiam causis jam praetermissis, solennia saltem aliqua delibasse, quae nobilis illa strumosos rangendi Cerimonia conficitur, sufficiet. Exhibet ista Thuldenus & de Ludovico Galliae Rege refert, quod in Franciscanorum, qui Recollecti appellantur, templo, mille ac ducentos strumis laborantes homines, ut moris est, manu, ipso Pentecostes Dominico die,

attigerit, ac sanaverit. Incedit enim (ita ille) Rex nudato Capite, gestu corporis univ[er]si, sed manibus inprimis & ore precēs fundente, Christi fidem atque opem implorantis religiosissimum habitum praeserens. Imminent à tergo agrotis Medici, eosque capillo modicè arreptos pratereunti admovent Regi, qui brachii dextri nonnihil extenti manu decussatim in crucis formam ducta frontem singulorum contingit utens his verbis: Te tangit Rex, sanum facit DEUS &c: Quos Rex tetigit, Eleemosynarii stipe collatà afficiunt, ac ne se eidem illi rursus inferant, portà peristylii emittunt. Carolum verò Angliæ Regem scribit, laudà dextram, dextraque palma levam hominis affecti genam contigisse, dum interim à Sacris Praefecto ex Bibliis versus ille Marci praelectus fuit, quò Christus Apostolis promittit, imposturos eos agris manus, futurumque ut ex morbo evadant: attactui Angelotum (aut Aureum cujuscunque generis) ipsum addidisse, singulis singulum ex collo suspensum, donec Dominica precatione & Collecta, quam vocant, totus iste ritus finiretur. Plura Beermannus suppeditat, qui in Notitià Dignitatum illustriuna denuò videri & legi potest. Sed enim quorsum hæc? Dicemus verbo: Quos, in terris summos, difficillimum tenacissimumque morbi genus, quodque ipsa Natura ne fovere non videretur, in gentem non unam effudit, tantà cum pompà, tantòque cum adplausu, qui Reges decet, sanare inaudimus: eos nihilofecius, ubi ad morbos mortemque ipsi deveniunt, sibi non minus, ac imos quosque, succurrere haud posse, etiam animadvertimus. Proin, quanquam jactitet Gramondus (c. l.), de antiquo Regi tactus ritu haud injurià dici posse: *In manu Regum Gallia verè digitum DEI esse*; Ex Cominatio tamen discimus quoque, non deesse quendam è Gallorum Regibus, qui vitam, si potuisset, destinato eum in finem Medicis singulos in menses splendidissimo, dixerim penè incredibili,

bili, salario, cupientissimus prorogasset. (Com. L. 6. c. 7. de Ludov. XI.). Nimirum mors omnes manet, nec præterit ullum, utut maximè aliis sæpè numero subvenerit: Non Regi parcit s. publicæ salutis, s. privatorum quorundam specialiumque Morborum Medico; non cuiquam è Medicis quibusvis aliis: Mors omnibus ultima rerum linea est. Ut enim descendamus nunc à strumarum tactu, tanquam ab illustriissimâ Regiâque Medicina, quæ fit sine trochicis, sine herbis adeò & ipsis verbis, atque ad eos utrumq; oculum reflectamus, quibus unicum in vitâ studium est, aliorum vitæ consulere. Quis fuit qualisve Thomas ille Linacrus, de quò Chytræi delicia ex Epitaphio ejus referunt (p. 166.); quod multos ætate suâ languentes, & qui jam animam desponderent vitæ restituerit? Quis, qualisve Thomas Fienus, de quò Decus Lipsiensium insignis DN. D. ALBERTI: (tùm Licent. Disp. de Senect. P. 1. §. 30. ex Fromond.) refert, quod dixerit, Medicum expertum & eruditum non posse decorè & sine infamiâ artis, ante septuagesimum annum vitâ decere? Sed enim obiit ille, postquam multis servit; hic magnam Climactericum Annum, cujus vim adeò negaverat, sibi noxium sensit: quò & ipse obiit. Sic est, nec sibi, nec ulli contra vim mortis mederi, Medicorum etiam optimus novit. Tangit Medicus, sanat DEUS; imponit ægro manum, & ex morbo evadit, qui morti vicinus erat, quamdiu id summo animæ nostræ Medico placet; ubi huic visum est, e vitâ hâc ad aliam nos transferre; tangit mors, nec enecat DEUS, sed per mortem ad aternæ sanitatis vigorem nos ducit. Tùm non strumæ saltim, sed omne morborum genus cessat; succedunt aurea, aternumque duratura gaudia: dextrâ nos tangit & à lavâ separat, qui ad Dextram DEI sedet. O quantum est! hic non ampliùs esse Medicum, ut illic non ampliùs egemus Medico, sed feliciter cumque

interitid cernamus eum a facie ad faciem; qui verus hic no-
ster Medicus; qui per contempta ad honorem non in-
teriturum, per abjecta ad celsissimum splendorem Dux no-
bis atque Comes extitit. Habeat in hoc beate demortui
sepulchrum hanc Theodosii Imp. inscriptionem (*vid. Lips.
de Magnit. Rom. L. 4. c. 1.*) ὕμνια: Nam ibi sanitas, ubi nul-
la mutatio aut vicissitudo; ibi vita, ubi mors victa; ibi gau-
dium, ubi abolita lacruma. Libuit hæc præfari, CIVES
ACADEMICI honoratissimi, æstumatissimi quæ, postquam
invitandi hodiè estis ad exequias felicissimi Medici, qui cum
alios quidem juvaret & è mortis velut faucibus eriperet, à
morte tandem victus huic vitæ valedixit; h. e. à Christo Me-
dico tactus, constantissimè valere cœpit. Est is, Vir Nobil-
lissimus, Amplissimus atque Experientissimus DN. ADOL-
PHUS FRIEDERICUS HELING, Medicinæ Doctor & con-
stitutus à Reverendis & Sereniss. Holsat. Regent. Duce in Præ-
fecturâ Tundern, bene meritusque Medicus: vitâ longiori
longè dignissimus. Ut enim curriculum, quod absolvit non
adeò longævum in Sciographiâ quâdam proponamus; natus
est SVERINI Anno 1635. Mense Junio dieque ejus 28. horâ
matutinâ nonâ: videlicet videre lucem debuit in urbe quâ-
dam Principe, qui quondam Serenissimis Principibus à
Medicis consiliis esse debuit, multisque qui procuraturus
erat ætatem vegetam, tempestate vegetâ i. e. demetendis
jam jam frugibus aptâ non immeritò ætatem suam exorsus
est. Parentem habuit Virum Nobilissimum item Amplif-
simum atque Experientissimum DN. JOHANNEM HE-
LING, Sereniss. quondam Mecklenburg. Ducis &c. &c.
Archiatrum; quem filius eò faustius seqvi potuit, quo ma-
gis impigrum habuit Antecessorem. Junctam cum hoc
Matrem coluit Nobilissimam virtutumque decore nitidissi-
mam foeminam, BARBARAM BOTTIGERIAM: cujus
pieta-

pietati ac curæ multum sedebuisse non præter meritum professus esset, nisi præmature ad plures abiisset. Paternus Avus ipsi fuit Vir spectatissimus famæque & vitæ Integerrimus DN. CASPAR HELING, Civis & Mercator Luneburgi è primariis, sociamque hic vitæ individuum, beatè defuncti Aviam, dilexit honestissimam castissimamque foeminam ILSABEM WEDEMANS. Maternus avus extitit Vir Eximius præclaræque existimationis DN. VITUS BOTTIGER, Mercator Lipsiensis non incelebris, qui conjugè (Aviâ Maternâ Beatâ N.) gavissus fuit pudicissima veræque pietatisque laude conspicuâ foemina, SYBILLA KNOBLOCHIA. Proavum vitæ curriculi delineatio nominat Honestum spectatumque virum DN. NICOLAUM HELING, Civem & incolam urbibus Luneburgicæ, Witing; Proaviamque pientissimam foeminitiam CATHARINAM Schulzen: Proavum autem Maternum Clarissimum Doctissimumque VIRUM, DN. CORNELIUM BOTTIGER, Scholæ Werdenensis in Misniâ Rectorem; ac Proaviam denique hujusdem lineæ, Optimam foeminam, SUSANNAM SCHÖSSERIAM, Præfecti cujusdam Filiam. Hi Majores; hi parentes Beatè Defunctè nostri: His generationem; his regenerationem, his sedulam decentemque educationem acceptam tulit. Et quanquam, ceu modò meminimus, Matrem Mors citius subtraheret, quâ tenues ejus anni ferre possent, nihil tamen deesse passus fuit beatiss. Parens, quicquid ad ADOLPHI FRIEDERICI sui exoptatissima incrementa ulla ex parte facere posset. Neque caruit res successu, quod bona indoles se magis & magis patefaceret & publica Declamationum aliorumque exercitiorum specimina de tempore non male impenso restarentur. Factum hinc est, ut svasu plurimum ad altiora destinaretur, adeoque anno 1654. Octobri mense, cum septendecim annorum Beatus N. esset, mitteretur Wittebergam, ad mon-

tem

Et verè candidum, undè in candidum hoc p̄ctus quilibet
scientiarum disciplinarumque rivi derivarentur. Jactis
enim in Philosophiâ curiosiori fundamentis, ad studium
Medicinæ se adplicuit; quo per triennium ritè exulto, abe-
undi ad vicinas, quæ Lipsiæ florent ac Jenæ, Academias à ve-
nerando Parente ipsi facultas data fuit. Inde, viginti duorū
annorū ubi esset, Argentoratum; Argentorato post bienniū
Lugdunū ad Batavos profectus est; quos inter iterū triennium
exegit. Quò etiam finito ceteras Belgii urbes & ditiones,
Angliamque invisere suscepit, donec Franeqveræ post-
quam sub Experientissimi Med. & Phil. Doct. Anatomices-
que Professoris, JOACHIMI FRENZELII, Præsidio Inaugura-
lem habuisset Disputationem, Anno 1662. d. 27. Maji Doctor
publicè solenniterque renunciaretur. Quibus in Medicina,
summis honoribus decenter atque ex meritò impetratis in
Patriam reversus Practicum egit; & ex voto quidem ac cum
laude egit h. e. valetudinem eorum à quibus in auxilium
vocatus fuit benigniorem tanta dexteritate procuravit,
ut à nemine non maximè estimaretur insigniterque colere-
tur. Sed iis præesse omnibus quò commodius posset, do-
mesticas sollicitudines dividere & partem si non omnem,
certe maximam devoluere in selectissimam tum tempo-
ris virginem, nunc viduam mœstissimam suscepit, Matro-
nam videlicet Nobilissimam atque omni sexus fœminini
nitore splendidissimam ANNAM URSULAM, Viri No-
bilissimi, Amplissimi Excellentissimique DN. ALEXAN-
DRI KIRCHBERGI, J̄cti Magni, & Sereniss. Principi
Sverinensi &c: &c: DNO. N Clementiss. à Consiliis
Justitiæ, Filiam; quâcum desideratissimum æque, ac fortu-
natissimum deinceps, connubium iniit 16. Sept. Anno 1662.
atque hætenus per 21. annos absque omni tædio, sed non
absque cœlitus data benedictione continuavit. Nimirum
i no-

novem vidit liberos; filios quinque; quatuor filias.
Illorumque tres, utpote JOHANN ALEXANDER,
JOHANN FRIDERICUS & GEORGIUS HENRICUS,
harum una, ANNA BARBARA, ad cœlites ante Pa-
trem properarunt. Superstites vivunt duo Filii; JO-
HANN HIERONYMUS AUGUSTUS, & ALEXAN-
DER Filiaque tres: MARGRETA DOROTHEA,
ANNA MARIA & ELISABETH ADELHEIT. Adhuc
Vidua Viduarum DEUS; nec deserat Orphanos Orpha-
norum Pater: vices abeuntis s. Maritis. Parentis ipse sub-
cat; sit Medicus his quos vulneravit; sit Autor, sit Fautor
in omnibus. Sed à relictis in luctu & mœstitiâ ad ipsam
beatè defunctum DN. D. HELINGIUM ut revertamur,
velut animi fuit corporisq; dotibus Ornatissimus; sic la-
gere fama tantæ VIRI, tamqve felicitatis MEDICI haud potuit.
Desideratus redditur Principibus VIRIS, horumqve roga-
tu Sverino Lunenburgum concedit; quò locò maximum
eorum, quibus medendo præfuit, favorem indeptus,
vixit ut Medicum decet, i. e. gratum omnibus ac ac-
ceptum; namqve erat omnibus amabilis. Extendit
se boni Nominis hic odor ad Hamburgenses, qui omnem
ideò lapidem moverunt, ut de Medico hòc undiqvaqve
provido nec infausto sibi prospicerent; quem accedentem
singulari etiam cum lætitiâ exceperunt; ibi-
demqve persistentem coluerunt. Nec secessisset a faven-
tissimo quoqve hòc receptaculo, ni DEUS, ni Reveren-
diss. & Sereniss. Holsatiæ Regens Dux ipsum Anno 1680.
d. 24. Jun. in Præfecturam Tundern Clementissimè vo-
cassent, Ducalisqve illic Medici officio jussissent fungi.
Non poterat Divino nutui, nec Serenissimi Principis
voluntati resistere, quod in bonum proximi, cujus salu-

B


C

si omnia meditata atque facta sua dedicarat, publicum,
cedere hanc functionem satis advertebat; cui inhæsser
diutius, ni belli metus ac minæ ad Rosetum nostrum
ut irer, velut Asylum tutum, incitassent. Atque ab hoc
Rosas sepulchro aspergendas nunc expectat; cujus rose-
um in scientiis (imprimis Medicâ) & virtutibus Christia-
num hominem optimè decorantibus, animum, nemo,
utut paucis abhinc mensibus apud nos conspicuum, non
admiratus est. Loquatur autem de ipsis | ultimis Vir
Nobiliss. Excellentiss. atque Experientiss. DN. JOHAN-
NES BACMEISTERUS Doctor & Profess. Medicus lon-
gè Celeberr. DN. Collega Noster honoratissimus; qui to-
tam mortis historiam brevi hâc declineatione nobis ex-
hibuit: *Vir Nobilissimus, Experientissimus & Clarissimus*
DN. D. ADOLPHUS FRIEDERICUS HELINGIUS,
Urbem hanc ingressus, me uti tum temporis Academia Pro-
Rectorem adibat, & ut in Matriculam Academicam recipe-
retur, anxie desiderabat. Cujus desiderii æquissimis &
ego lubens tum temporis assurrebam, nec ulla adverse va-
letudinis vestigia in ipso apparebant. Verum vix pau-
sis præterlapsis septimanis Mense scil. Januario presentis
anni gravescentem Valetudinem per amicum mihi indicari
curabat: Accessi ergo citra ullam moram ipsum, & statim
tum ex propria Dni. egroti relatione tum etiam reliquis cir-
cumstantiis illum Cachexia scorbutica, quam tussis gravissima
cum Asthmate & hectico tertii ferme gradus calore omnia
Viscera corrumpente comitabatur, laborare animadverti. Cui
q̄ caloris vim cum amoliri nec Natura effecta; nec Medicamen-
ta generosiora licet tum à me tum ab ipso etiam DN. egroto
ordinata, possent, accedente levi quadam Diarrhæa, spi-
ritusque superstites dissipante, defæcatus & à Corpore
Cor-

*Contagione continuis februm flammis perpurgatos animi
igniculos Patri Luminum, ad quem omnes tendimus,
reddidit, nobisque nil prater gratam sui memoriam
reliquit. Hæc honoratissimus DN. Collega & Amicus
Noster: Ceterum ubi imminere extrema adverteret, de
salutari Pharmaco in S. Domini N. I. C. Coena animæ suæ
prospexit; eoque abs Maximè Reverendo atque Ex-
cellentiss. Viro, DN. FRANCISCO WOLFIO, Doctore
& Profess. Theologo nec non Pastore Mariano, DN.
Collega N. conjunctissimo, instructus, Divini Numi-
nis nutui unicè se submitit. Deficientibus itaque &
evanescentibus subinde viribus, tandem eò res de-
venit, ut 16. hujus mensis diem experiretur ultimam
aut, ut rectius loquar, veræ & nunquam termi-
nandæ vitæ primum. Atque sic desiit esse agrorum
refugium, qui de siit nunc agrotare posse; videt so-
lennia: queis splendidiora haud ulla; interque hæc à Re-
ge O. M. se uti tactum, ita sanatum lætatur; Verum
vitæ hujus bonum Mortem esse (ceu Professoris illius Sal-
manticensis apud Tbuam. inscriptio habet) contra quam
alias in non paucis pugnaverat, jam demum beatissimè
percipiens. Erat ipsi, certè quoad hic vixit, vita non
vita, sed morbus: nunc mors non mors, sed vita. De
Galliæ quodam pago in Geograph. suâ Fournier (L. 9. c. 11.)
habet, quod pascuis inclaruerit tam salutaribus, ut quæ
morbo laborarent oves, si eò ducerentur, vires reci-
perent, quas amiserant. Certius de coelo, de pascuis
ad aquam limpidissimam pronunciare id licet, quod, ad
ea quos recepit Domini benignitas, omni à morbo &
malo absque mora & vicissitudine liberentur. Sic re-
fert quandam ex Insula, ut vocant, Æsculapii inscriptio-
nem Meibomius, quæ isthæc verba exhibet: *Lucio affecto
lateris**

*Interis dolore & desperato à cunctis hominibus Oraculum
reddidit DEUS, veniret & ex arà tolleret cinerem & unà cum
vino commisceret, & poneret supra latus & convaluit, & pu-
blice gratias egit DEO & populus congratulatus est illi. Imi-
tari eam ex parte esto integrum. Helingio affecto corpo-
ris dolore, & desperato à cunctis hominibus Oraculum ve-
lut reddidit Deus, ut subiret cinerum factionem; utq; animam
ad cœlestia regna dimitteret. Non restitit Helingius &
& convaluit. Fas igitur erit, ut gratiæ agantur DEO,
ut populus illi congratuletur. Faserit, ut à lacrimis no-
bis temperemus, qui ex valle lacumarum novimus edu-
ctum sine lacrimis & perpetuò gaudere Helingium.
Inferat DEUS ipse efficacissimum moestissimæ Viduæ
liberisque solatium. Qui Medicum sustulit, ne cesserit esse
Medicus. Hoc pia omnes unanimiq; nobiscum mente
precabimini, O Cives honoratissimi, æstumatissimi. Quod
super est etiam abs Vobis, si frequentes adsitis, solamen
proficisci potest: Colliget inde Vidua tristissima non de-
futuros sibi ad quos valeat confugere: Impetraturos O-
phanos multorum Patrocinium, quò nunc egent quàm
maximè. Compareatis igitur, fagitamus, promptissimi
& Medicum, nunc verum in Salvatore Mortis victorem
benevolè comitemini. P. P. ipsà exequiarum die, 23.
Martii. Anno 1683, sub Sigillo Rectora-
tus Procedemus ex Templo Ma-
riano.*





pietati ac curæ multum sedebuisse non præter meritum
fessus esset, ni præmature ad plures abiisset. Paternus
ipsi fuit Vir spectatissimus famæque & vitæ Integerrim
CASPAR HELING, Civis & Mercator Luneburgiè p
rius, sociamque hic vitæ individuum, beatè defunct
am, dilexit honestissimam castissimamque fœminam
SABEM WEDEMANS. Maternus avus extitit Vir Ex
præclaræque existimationis DN. VITUS BOTTIGER,
cator Lipsiensis non incelebris, qui conjuge (Aviâ Ma
Beati N.) gavifus fuit pudicissima veræque pietatisque
conspiciuâ fœmina, SYBILLA KNOBLOCHIA. Pro
vitæ curriculi delineatio nominat Honestum spectatu
virum DN. NICOLAUM HELING, Civem & incola
bis Luneburgicæ, Witing; Proaviâque pientissimam
niam CATHARINAM Schulzen: Proavum autem
ternum Clarissimum Doctissimumque VIRUM, DN.
NELIUM BOTTIGER, Scholæ Werdensis in Misniâ
rem; ac Proaviâ denique hujusdem lineæ, Optimam
miniam, SUSANNAM SCHÖSSERIAM, Præfecti cuj
Filiam. Hi Majores; hi parentes Beatè Defunctè
His generationem; his regenerationem, his se
decentemque educationem acceptam tulit. Et quan
ceum modo meminimus, Matrem Mors citius subtra
quâ tenues ejus anni ferre possent, nihil tamen deesse
fuit beatiss. Parens, quicquid ad ADOLPHI FRIED
sui exoptatissima incrementa ulla ex parte facere
Neque caruit res successu, quod bona in dolens se magis &
patefaceret & publica Declamationum aliorumque; exe
rum specimina de tempore non male impensio testa
Factum hinc est, ut svasu plurium ad altiora destina
adeoque anno 1654. Octobri mense, cum septende
norum Beatus N. esset, mitteretur Wittebergam, a

